

LXVI.

Anno 1272. die 14. Junii. Spalati.

Archiepiscopus Spalatensis provinciam Likam Episcopatu Nonensi cedit.

In nomine Dei aeterni Amen. Anno Incarnationis ejus 1272, Indictione XV. die 14. intrante Junii, regnante D. N. Stephano Serenissimo Rege Ungariae, tempore D. Joannis venerabilis Spalatensis Archiepiscopi, Domini Joachini Pectari Bani Slavoniae, Comitis D. Vulcet (Vulchet) egregiae Potestatis, Dobri Buscize (Dusizze), Vulcine (Vulcena), Frese Judicum.

Nos Joannes D. G. Spalatensis Archiepiscopus, ad universorum praesentium et futurorum, harum serie, plenam notiam volumus devenire, quod suscepta regiminis cura venerandae sedis Ecclesiae Spalatensis, dolentes et gementes reperimus et invenimus ipsam de sua antiqua dignitate, suffraganeorum videlicet pluralitate, possessionum provenientium multitudine, et provinciarum (Parochiarum) numero, praedecessorum nostrorum indulgentia, multifarie multisque modis spoliata, quinimo pene totaliter suffocata, et suis juribus destituta. Cujus dissolutionis tacti dolore cordis intrinsecus, totis praecordiis compatiens, et ipsius reparationi studium pro posse adhibentes, ab ipso primordio nostri adventus fama celebri, multorumque nobilium relatione percepimus, Provinciam Lika ad praefatam Sedem Spalatensem pertinuisse; et ideo cum consilio et cum consensu nostri Capituli praedictam Provinciam Lika ad jus et proprietatem Beati Domnii resumere volebamus, Domino Regi contra venerabilem fratrem nostrum D. Stephanum Episcopum Nonensem graves quaerimonias faciendo, et ipsum in causam coram ipso attrahendo. Cumque tale negotium diu coram Domino Rege inter nos verteretur, praedictus D. Nonensis Episcopus supplicavit nobis saepe saepius humiliter, privilegiorum suorum munimen allegando, et suam justitiam declarando, sibi misericorditer in hac parte assentire. Quapropter nos et Capitulum Spalatense Deum habentes prae oculis, jus et honorem Nonensis Ecclesiae cupientes et volentes, sicut debemus et tenemur ex officio nobis injuncto, integraliter confirmare et conservare, veritati et non famae innitentes super eadem quaestione, cum nostro Capitulo aliisque sapientibus et religiosis viris deliberatione habita et consilio diligenti, praedictam Provinciam Lika cum omnibus suis juribus et pertinentiis per nos et Capitulum nostrum ac successores nostros, praecipue cum in eadem questione nihil juris penitus habeamus, salvo secundum morem patriae visitationis officio, Venerabili fratri nostro Stephano Nonensi Episcopo, et ejus successoribus, nostrae Nonensi Ecclesiae realiter et personaliter, pacifice ac quiete relinquimus perpetuo possidendam: renunciantes et cedentes totaliter quaestioni. In cujus rei memoriam perpetuam et notitiam plenior, praesentem cessionem,